



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

quâ scimus, quid in orbe terrarum agatur, & quid melius sit, discernere possumus, illam operibus suis philosophicis inseruit Illustrissimus ac Doctissimus Archiepiscopus Cameracensis D. de Fenelon: & quidem materiam hanc ita pertractat, ut sit ad captum omnium, quia omnibus necessaria; dignissima proinde, quæ pro coronide hîc etiam inseratur.

SYNOPSIS.

TRia præcipua capita ad salutem necessaria, homini etiam simplici ita exposita & probata, ut facîle veram religionem agnoscat, eique toto animo se submittat. Existit Deus Creator universi & omnium Pater, quem propterea debent creaturæ rationales & filii colere, modo quo possunt meliore tanta Majestate digno: cultus talis non habetur, nisi in Religione Christiana; & quidem sola Catholica illum docet modo, ad omnium captum & necessitatem accommodato: Nemo igitur est, qui hanc non præferre debeat, atque in ea indubitanter vivere ac mori præoptet, si salutis suæ consultum velit.

§. I.

*Existit Deus infinitè perfectus, Creator
Mundi omni laude dignissimus.*

UT hanc veritatem percipiat homo, opus non est, nisi ut oculos aperiat, & mentem habeat liberam; statim enim absque ratiocinio agnosceret potentiam & sapientiam Creatoris in opere suo relucentem. Quod si aliquis, qui plûs vult sapere, quàm oportet sapere, hanc veritatem impugnet, cum illo neutiquam disputabo, id solum rogabo, ut supponam illum post naufragium in desertam insulam ejectum: ibi videt domum ad omnes architectonicæ regulas constructam, omni suppellectilis genere magnificè ornatam, in conclavi interiore libros optimos in omni genere, pulcherrimo ordine dispositos; nemo tamen mortalium comparet in tota insula. Jam quæro ex illo, utrùm possit sibi persuadere, totum hoc opus esse fortuitum sine industria dirigente? Contendo potius ego, illum non posse, quantumvis sibi vim inferat, sibi persuadere, hanc lapidum congeriem tali ordine ac symmetria dispositam, hanc omnis generis suppellectilem tanta arte ac proportionem elaboratam, & tam bellè collocatam, tot libros de sublimioribus scientiis tam accuratè tractantes, combinationem esse merè fortuitam. Poterit equidem subtile aliquod ingenium forsan aliquid asserere, quo paradoxum adeò absurdum quocunque demum modo speculativè propugnet: practicè tamen non poterit unquam seriò dubitare de intelligentis industria in tali ædificio resplendente. Hæc impotentia dubitandi in homine ostendit, illum plenè convictum esse; hic, ut ita dicam, ultimus humanæ rationis terminus est, quem supergredi non potest.

Si jam tale ædificium nobis statim ingerat cognitionem industrii artificis; quantò magis hæc rerum universitas, immensum hoc opus tanta rerum varietate distinctum, tanto ornatu variegatum, tam excellenti partium ordine dispositum, tam admirandis motibus conspicuum, illico nobis manifestabit Opificem sapientissimum? Hæc comparatio obvia est, & nemo est, quem illa non